

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Menippus sive dialogorum satyricorum centuria  
inanitatum nostrativum speculum**

**Andreä, Johann Valentin**

**Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618**

61. Expectans

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](#)

Deo & animæ nostræ debitum comburunt, qui bonis omnibus adversantur, & si quæ alia sunt illorum monstrorum dotes; eos nonne duriter increpas, & linguam in tam pestilentes mores accus? B. Id quidem è suggestu strenue facio, reliqua Magistratus viderit. A. Anné vero ex ijs aliqui amici, & familiares sunt? B. Non possum negare. A. Ii saltem corrigendi essent. B. Non flectuntur, tantum est malis esse assuefactum, sed & tractabiliores apud me sunt. A. Scilicet ut cū, *Ego omnis peccator, obiter deblaterāint; tu facilius subjicias: Confide fili, remissa tibi sunt peccata tua.* B. Relinquamus Deo judicium. A. Interim in pauperculos sacerdos vitis. B. Quid fiet, si illis impune furari liceat? A. Quid fiet, dum hinc totas vrbes deprædantur, inficiunt, contaminant. Itaque si quis potestatem det, hos cyclopas omnes suspenderem, illos errores ad frugem & laborem reducerem.

## 61. E X P E C T A N S .

A. **Q** Vid sibi volunt circa collum fasciæ, an Demosthenis morbum habes? B. Facile est miserum ridere. A. Condolebo itaque dum tu mihi hoc malum aperias. B. Nomen nondum habet, sed nescio quæ collum mihi humeris concrescit. A. Evidem in foelix es; sed quid coniunctis causam dedisse? B. Crediderim frequentem suspicionem. A. In cœlum? nimium devotus es. B. Jam quidem in cœlum suspicio, posteaquam in hominibus nullum subsidium est. A. Ergo ho-

homines suspeſisti. B. Fatendum eſt , atque  
diu. A. Quid expectabas igitur? B. Ut ē puluere  
& luto me illi ſublimes aliquando attollerent, &  
commodiore loco reponerent. A. Quid fit? B.  
Dum ego in honorum & officiorum rotam per-  
petuo intendo, & precibus tam inexorabiles au-  
res diverbero, rota promovet, & quos jam pro-  
pe exoraveram, altius attollit. & novos subinde  
mihi obijcit, vt & altum illi eleuati ſimul incla-  
mandi, & recentiores hi mihi conciliandi fue-  
rint. Hinc raucedo, & tuſſis, & collirigor, ner-  
vorum ſtupor, & quod miserrimum , mei tædi-  
um. A. Et nihil hic tantus labor profecit? B.Ni-  
hil, niſi quod ægrotare jam vides. Nam dum ali-  
os mors avocat, alijs in viſuſ ſum, alij vanaspe la-  
tant, alij intercedunt, alijs innotefco , alij me-  
cum quiritantur, ætas perit, ingenium hebeficit,  
valetudo languet, nummi diſfluunt, amici fati-  
gantur, literæ evanescunt, corpus obcallet, ani-  
mus desperat. A. Miferum oportet eſſe, & infe-  
liciſſimo astro natum. B. Crediderim : nam ſi  
quæ iſiſtū horoſcopo meo fauſtæ ſtellæ, omnes  
occidiæ ſunt, maleficæ vero meæ regnant. Vna  
& altera ſupererit, quæ ſi vellent. A. Tu quidem  
Curiæ cœlum intelligis, atq; ego vellem te poſt-  
hac in Christianorum cœlum iſpicere, niſi hu-  
manæ infidelitatis ſatur nondum eſt. B. Quid ſa-  
tur? etiam nāufeans & vomituriens: quem enim  
noñ tædeat ætas precibus nequicquam abſum-  
ptæ? A. Conſide Christus noſter exorabilior eſt.  
B. Licetne verò petere? nam in illo altero cœlo  
regula eſt, qui petit forder, qui racet latet, nee  
enīm

enim ut olim ita hodie donorum aestimatio est,  
sed munerum, ut nisi preces auro suffulcias, amplius etiam irrites. A. Christus aliter, quem precibus nunquam fatigabis, & cui quovis angulo nunquam eris obscurus. B. Sed an expectantium etiam tabulam habet, quam sicubi opus homiue habet inspiciat: A. Iterum tu ad homines de volueris. At memineris Christi negotio nunquam idoneos defuturos: te vero sicubi idoneus videberis, nuspia satis latere posse.

## 62. H O R O S C O P V S.

A. I Tanté astris nihil in me benevolentiae, nihil æquitatis? B. Quid stomacharis? A. Obscerco te ades dum mihi, ut cœlo irascamur. B. Cœlo vero? A. Vtique, quod tam inauspicatas nobis stellas vehit. A. Ego vero dudum didici stellas omnes negligere, præter unam illam Iacobi stellam. A. Facile si illas negligere, si à nobis abstinerent, & vitam relinquerent magis tolerabilem. B. Itaque a stellis esse credis vitæ nostræ amaritudines? A. Sic enim ajunt, qui cœlum omne perscrutantur. B. At alij negant, quibus ob id stellæ non succensent, nec vindicant, immittunt. A. O nimium felices! mihi vel maxime devote irate sunt. B. Itané perspexit omnem horoscopum tuum, ut nihil fortunati alicubi latere possit? A. Nihil spei superest, nisi ut quampliū infaustam vitam finiam. B. Quod si tuo arbitrio cœlum volueretur, ecquid Planetis imperares? His enim aūdio orbis imperium.